



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117875**

§. 9. Causa Stephani & Regimundi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

## §. IX.

Sæculum IX.  
A. C. 860.*Causa Stephani & Regimundi.*

Concilio Tusiacensi redditæ sunt epistola cujusdam Comitis Regimundi contra generum suum actionem moventis, quod uxorem suam nollet cognoscere; dicebat enim, se cum aliqua ejusdem puellæ propinqua quondam carnali commercio miscuisse. Cum igitur hæc res per annos circiter tres a plurimis ventilaretur, atque Socer Generque essent viri potentes, quorum jurgia Ecclesiam & rempublicam turbare possent, visum est Synodo hujus causæ cognitionem ad se pertinere, jussitque Stephanum, qui obsequii causa in Regia versabatur, advocari. Ille petiit, ut Episcopis secreto loqui sibi daretur, quibus dixit: *In fragili juventutis ætate cum quadam femina res mihi fuit. Filia Comitis Regimundi postea desponsatus meminisse cæpi, sponsam meam illam feminam sanguinis propinquitate contingere. Consului virum, qui mihi erat a confessionibus, qui mihi ostendit librum, collectio Canonum, nisi fallat memoria, appellatum, legitque me præsentem, non licere homini Christiano propinquæ suæ per matrimonium jungi, quousque cognationis gradus numerari possit, aut cum duabus feminis affinibus copulari. Nec aliud incesto conjugio inveniri*

p. 716.

*Hincm. ep.*

37.

veniri

Sæculum IX. *veniri remedium, quam cito separari. In-*  
A. C. 860. *terea Domini mei & Regis mei gratia ex-*  
*cidi; jamque in ipsius Regno versari tu-*  
*to non licebat, & illinc Regimundus omnes-*  
*que consanguinei instabant, ut sponsam*  
*meam conjugem ducerem. Unde necessi-*  
*tate compulsus (de vita enim periclitabar)*  
*publicis nuptiis in uxorem accepi, sed in-*  
*tactam haecenus conservavi, ne unamcum*  
*puellam innocentem perderem. Jam quid*  
*actum sit ingenue & coram Deo vobis ape-*  
*rui, nec dolo, nec odio, nec amore alte-*  
*rius feminae impulsus. Si petitis, id-*  
*ipsum Sacramento confirmabo aut quocun-*  
*que alio argumento demonstrabo. Ce-*  
*terum consiliis vestris obedire paratus*  
*sum.*

Auditum Stephanum Synodus sece-  
 dere jussit. Deinde singulis opinionem  
 suam proferentibus statutum, ut Archi-  
 episcopi Bituricensis & Burdegalensis, in  
 quorum provinciis partes litigantes exi-  
 stebant, congregatis ad Synodum suis  
 Suffraganeis, ubi Rex cum Proceribus in-  
 teressent, causam istam ad felicem exitum  
 perducere conarentur, & secundum  
 Canones Episcopali auctoritate dirime-  
 rent. Tum Stephano gratissimam con-  
 ditionem recipiente Synodus Tusiacen-  
 sis Hincmaro Archiepiscopo demanda-  
 vit, ut Commentarium conscriberet, in  
 quo, postquam factum enarrasset, qua  
 ratio-

ratione de jure hæc quæstio decidenda Sæculum IX.  
A. C. 860.  
esset, sententiam suam exponeret.

Mandatum implevit Hincmarus edito libello ad Rodulfum Bituricensem & Frotarium Burdegalensem directo, in quo dicit: *Stephanus puellam sibi desponsatam adducat ad Synodum in Aquitania celebrandam, ibique puella interrogetur; an verum sit, quod Stephanus dicit, se illam hæcenus servasse intactam. Si illa intactam se affirmet, examinandum est, quantum fieri potest, an subsit causa pudenda, ob quam Stephanus absteat; non tamen propinquam illam, quacum se concubuisse fatetur, nominare compellatur, ne confessio ipsius reddatur publica. Si denique res ita se habeat, ut dicit, ipsius matrimonium cum filia Regimundi nullum est, quod metu contractum sine incestu consummare non potuit. Unde sequitur esse separandos, & utrique ad alias nuptias transeundi suam salvam manere libertatem. At Stephanus dotem filiae Regimundi datam amittat, & penitentiam subeat, ob peccatum fornicationis cum illa propinqua admissum, & abusum Sacramenti Matrimonii, quod contra dictamen suæ conscientiae iniit. Hæc est Hincmari Sententia.*

op. 37.  
to. 2. p. 647.

n. 2.

n. 3.

n. 4.  
p. 655.

n. 5.